



Nr. 14

37

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
UNDÉCIMA  
DE  
**SANCTITATE**  
**HUMANÆ CHRISTI**  
**NATURÆ ABSOLUTA, ET**  
**OMNIS INHÆRENTIS, SEU**  
ADSUMTI, AC PER MULTAM LUCTAM  
SUBIGENDI, PECCATI SIMPLICITER  
EXPERTE.

QVAM DOCTRINAM EVANGELICAM  
A VIRI CL. PETRI POIRETI  
CORRUPTELIS AC ERRORIBUS

IN REGIA FRIDERICIANA  
Die Martii hujus M DCC XX anni

SUB PRÆSIDIO

**D. JOACHIMI LANGII,**  
S. THEOL. PROF. ORDIN.

disquisitione publica vindicat

an.

RESPONDENS

**IMMANUEL PETRUS Beier/**  
ONOLDINUS FRANCUS, SS. THEOL. ET PHIOL. STUD.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.

DIGITIZED BY MINNESOTA LIBRARIES  
DEPARTMENT OF LIBRARIES

DE DEQIM A

SANCTITATE  
ELEMENAE CHRISTI  
INTEGRITATIS ET  
OVAZIA HABITATIS SEI

ASTRUM ASTRONOMIA MUNERA ILLUMINANT  
SIGILLUM PISCATORUM SEMPER

CHIROSCEPTEA MARIA VINCENS

AURELIA TITRI TOLIA

ALLEGORIAE ET ALLEGORIAS

DILEXIMUS IN LEX

TRINITATIS ET DILEXIMUS



## DOCTRINÆ EVANGELICÆ PROPOSITIO.



Efus Christus in persona sua, suoque redemtionis opere, absolute fuit ἀναμάρτυτος, ita ut peccatum ipſi nullum inhæserit, nec is ab ulla infirmitate, aut affectu, peccati naturam habente, fuerit tentatus: atque ita nec peccatum intra ſe ullum devicit.

### DEMONSTRATIO.

I. *E modo nascendi plane singulari ε& θαυματεργικη̄,* quem angelus saluifera nativitatis interpres Luc. I, 34, 35. describit, & quem ipse eventus comprobavit. Illum vero, qui sine concursu viri peccatoris, & ex parte Mariæ ex singulari Spiritus Sancti ἐπελεύσει & per suam ipsius adumbrationem ἀπόγνων natus est, omnis peccati simpliciter fuisse expertem, non est mirum.

A 2

2. Ex

2. *Ex appellatione SANCTI:* quod nomen ibidem *ναρ'* *ἰεζοχῆν* Christo tribui, quis vel dubitare posset? & quid sibi voluit aliud plane singularis illa Spiritus Sancti *ἐπέλευσις*, quam ut illam Mariani corporis particulam, quam λόγος, virtus altissimi *ὑποστάσις*, una cum anima assumit, a peccati omnis labe omni expurgaret & ita sanctificaret, ut inde nasci posset τὸ Αγίον SANCTUM, ipsum quasi sanctuarium.

3. *E dignitate personae Salvatoris & ex unione duarum naturarum personali, nec non ex unitate humanae ejus nature.* Salvator erat & est verus Deus, ipsa justitia & sanctitas *ὑποστάσις*; & intercedente arctissima unione humanam naturam in divinitatis sua hypostasin adsumpsit, eamque divinis perfectionibus sine mensura instruxit. Quæ sane tanta hujus persona est majestas, tanta dignitas, tantaque sanctitas, ut in ea peccati inhærentis labes nulla locum inventire potuerit ullum.

4. *Ex adumbratione typica.* In sacrificiis primarium erat requisitum, ut ea omnis labis physicae essent pura. Jam vero sacrificia fuerunt typus Christi. Ergo puritas supernaturalis in ipsa natura humana ipso *ναρ'* *ἰεζοχῆν* conveniat, necesse est.

5. *E loco Dan. IX, 24. ubi Christus vocatur מֶשְׁרָךְ שַׁרְךְ sanctitas sanctitatum.* Conf. Ies. VIII, 14. ubi idem dicitur שַׁרְךְ sanctuarium, h. e. adeo sanctus, ut omnis instauranda vera sanctimoniam sit auctor, ipso typico שַׁרְךְ sanctuario, seu tabernaculo sacro sancto, cultus Levitici nervo & complexu, representatus.

6. *Ex officio ejus sacerdotali:* quod erat peccata universa mundi sibi imputata portare & peccatores in foro justitiae Dei vindicis expiare. Id quod ut perficere posset cum emphasi iustoque ac aeterno effectu, absoluta *ἀναμεμηνία* ipso erat necessaria. Et hoc ipsum est illud momentum, in

( 5 )

in quo Paulus in epistola ad Hebreos Christum summum novi testamenti sacerdotem a sacerdotibus Leviticis, prae-cipue distinguit; utpote qui propriam peccatorum suorum conscientiam habebant, ideoque pro semet ipsis victimas in suimet expiationem offerebant.

7. *E locis ipsis*, qua, pro emphasi sua recte intellecta, Christo absolutam ἀμαρτησαν tribuunt, uti sunt: Jes. LIII,  
9. Hebr. VIII, 26, 27, 28. ubi Christus in emphatica verborum congerie vocatur ὅσιος, ἄλακος, ἀμάρτωτος, κεχωρισμένος από τῶν ἀμαρτωλῶν, cui non neceſſe fuerit pro propriis peccatis offerre victimam. Item c. IX, 14. Ubi se ipsum sine omni macula Deo obtulisse dicitur.

I Pet. I, 19. Redemti sumus pretioso sanguine, tanquam agni navi & macule expeditis.

c. II, 22, 23. Christus peccatum haud fecit, nec dolus in ore ejus inventus est u. t. λ.

c. III, 18. Christus semel pro peccatis passus est, justus pro iniquis &c.

I Joh. II, 20. Unguentum habetis ab eo, qui sanctus est, nempe sensu eminentissimo.

c. IV, 5. Nostis, Christum apparuisse, ut peccatum toleraret: & peccatum in ipso non est.

Jo. c. VIII, 46. Quis vestrum me de peccato convincet.

8. Speciatim e loco Hebr. IV, 15. ubi dicitur quidem Christus tentatus PER OMNIA SECUNDUM SIMILITUDINEM, niminum tentationum, quibus alii homines obnoxii sunt, sed addita expressa peccati exceptione, χωρὶς ἀμαρτίας, sine peccato. Et quod peccatum nullum in ipso locum habuerit, Joannes κατὰ πρῶτον testatur: peccatum, inquiens, in ipso non fuit. epist. I. c. III, 5.

9. E sensu locorum istorum, quibus Messias peccatum tribuitur, genuino, qui in imputacione peccati alieni positi-

tus & Dissert. IV. ex instituto demonstratus est.

10. *E malo oppositi multiplicis erroris principio, quod est partim in negata iustitia Dei vindice secundum Dissert. II. partim in negata peccati culpa & pena positiva, ejusdemque imputatione, secundum Dissert. III. & IV. nec non in abnegata doctrina de satisfactione forensi, cum typica, tum antitypica secundum Dissert. V. & seqq.* Multiplex hic error non permisit Poireto, ut Christo tribueret imputacionem, portationem atque expiationem peccati vicariam, nostri loco factam. Cum vero in sacris tabulis passim fiat in mentio peccatorum Christo impositorum, ab eoque ablatur, *is πρώτες illius ac multiplicis ψέυδες* necessitate coactus est comminisci modum, quo de Christo peccata dicantur, inhaesivum, ipsique tribuere inherentes peccati illecebras ac tentationes nec non pugnam perfecte viciricem, illis oppositam. Qua ratione sibi visus est ipse non parum commendare id, ad quod in universo systemate suo resert omnia, hoc est *inherentis peccati*, in quantum labem & damnum efficit, *expurgationem*. Qui scopus sinceritatis & pietatis quidem speciem habet non exiguum, at, solitarie atque exclusive considerans, genuinus est neutiquam & a veritate evangelica quam maxime abhorret. Atque ita error hic Poireti Burignonianus non est primus, nec talis, qui se animo ultro insinuaverit, sed ex alio, eoque multipli-*ci*, tanquam *πρώτως ψέυδει*, ortus & per necessitatem quantum adoptatus. Unde efficitur, ipsum cum falsis suis principiis, integra superiorum Dissertationum serie disiectis, simul penitus concidere,

PRO-

\* (7) \*

PROPOSITAE DOCTRINAE  
VINDICIAE,  
CORRUPTELIS AC ERRORIBUS POIRETLI-  
ANIS OPPOSITAE.

OECONOM. Tom. II. L. IV. C. II.

Locus I. §. I. p. 55.

*Iesus Christus, hominibus ultima & divinissima remedia sua per media jam toties renovata, puta per Apparitionem, Revelationem, ac constituta, nec non per benedictionem naturalem ac Satanae refrenationem dispensaturus, in tanto opere exsequendo ea via uia voluit, que non tantum admirationem omnibus moveret, sed & que ante omnium oculos apertissime exposita, ab omnibus palam notari ac veluti manu tangi posset. Itaque ipse inter peccatores agere atque ad eorum conditionem se dimittere constituit, iisque similis fieri, ac remedia sua salutaria iisdem per se etiam ipsum declarare atque offerre, nec non applicando ea ad carnem similem ei, quam peccatores gerunt, suo exemplo docere, quomodo unusquisque, pro se, sine ulla excusatione aut exemptione, iisdem uti debeat, certus, quod vitam veram, quam ipse verus vita fons horum mediorum usui junctam voluerat, in iisdem quivis sit inventurus.*

Disquisitio hujus loci.

1. In priori loci hujus periodo præcipue notabilis est locutio de benedictione naturali & satanae refranatione, scilicet per eam effecta. Sub quibus verbis latet Auctoris error Neo-Pelagianus, quo quæ natura sunt, gratia reparatriei adscribit, uti Dodecad. posterioris Dissert. II. ostenderetur. Quod nec ea, quæ idem de apparitione, revelatione ac

consti-

constitutis Christi tradidit, genuina sint, e Dissertatione e-  
jusdem Dodecadis prima patebit.

2. Periodo posteriori remediorum Christi applicatio  
perperam resertur ad suum ipsius exemplum, ex ista hypo-  
thesi, quod Christus etiam infirmitates, quæ revera pecca-  
tum sunt, suscepit. Quæ cum falsa sit, uti e præmissa  
demonstratio liquet, simul concidit id, quod ei super-  
struitur, scilicet Christum infirmitates istas nobis in exem-  
plum intra se devicisse.

## Locus II. §. II. ibid.

*Si Christus in corpore glorioso, ita uti Adamo visus est,  
apparuisset; aut si in eodem corpore apparens, nube obducta  
claritatem ejus velare, aut ita videri voluisset, qualis in vi-  
sionibus divinis apparuit; neutiquam potuisset inter homines  
conversari, neque consilium quod ceperat executi. Si vero in-  
ter homines agens molestias eorum, tum corporales, tum spi-  
rituales, non sensisset, tantum abest, ut eos exemplo suo ad  
imitationem excitare potuisset, ut potius per tantam disparita-  
tem animis fracti omnino concidissent. Itaque dolores, per-  
pessiones, infirmitates & tentationes nostras, ac violentiam  
potentiamque inclinationum naturæ corrupte ipse sentire de-  
buit; ut easdem impugnaret & superaret; ut nobis ad sui i-  
mitationem animum adderet; ut omnes, qui tentantur, egri-  
tudines suas in ipso perpessas, victas atque sanatas viderent;  
ut nemo obtenuit infirmitatis suæ ab iis debellandis sese excu-  
fare posset; & ut ipse per experientiam sciret, quas vires,  
quam misericordiam hominum tentationes exposcerent, quæ-  
rum quidem violentiam in se experiturus erat.*

Disquisitio hujus loci.

I. Prima periodus prodit hypothesin de priore & Ada-  
mica Christi *invulnerabilitate*, Dodec. I. Dissert. IX. destructam.

2. Au-

❀ (9) ❀

2. Auctor confundit molestias *naturales & morales*:  
qua posteriores peccata sunt.

3. In molestiis *moralibus*, seu peccatis, is non agnoscit malum *culpæ & reatus*, ad poenam ducentis, sed tantum malum inhærentis *labis & damni*. Unde pro eo, quod Christo tribuere debebat, malum prius, uti Dodec. I. Dissert. IV. V. &c. evictum est, ipsi tribuit posterius, & quidem cum adjuncto impugnationis & debellationis atque exempli, ad imitationem hac ratione exhibiti.

4. *Imitatio exempli Christi a nobis requirit*, 1) ut voluntatem nostram abnegatam divinæ conformemus: 2) ut peccato, pro quo Christus mortuus est meritorie, effective moriamur: 3) ut abnegato hoc mundo per multas afflictiones in regnum gloria contendamus &c. Hac & alia hujus generis recte intellecta & justa cum proportione applicata in imitatione Christi salva esse possunt, ita ut illa maxime vigeat, et si analogia respectu inhærentis peccati desit. Qui defectus exemplaris Christi præstantiam indicat.

### Locus III. §. III. p. 56.

Sunt qui volunt, CHRISTUM tentationes nullas, nullaque inclinations nature corruptæ habuisse, forte ut ipsi ab ejus imitatione excusari possint, quandoquidem conditio eorum cum conditione illius in comparatione conjungi nequeat. Verum illi eum ita penitus ignorant: quippe qui unus plures habuit quam ceteri omnes, easque longe violentissimas & principales, sine ullo tamen peccato, imo non sine virtute ac meritis; quandoquidem isdem non tantum non consentiebat, sed & omnibus modis eas impugnabat, licet media in pugna medioque in labore suo animam exspirare debuisset. Et sane hæc etiam atque etiam digna sunt quæ penitus discutiantur atque explicentur, (vide hac de re egregiam Epistolam Dn. Ba-

B

rigno-



rigionie, que est VI. partis secunde Tractatus de Solido Virtute: nec non ultimam Epistolam tractatus) ut magnitudinem em videm eamus amoris, perpetuum occultarum, meriti atque puritatis Fili Dei, qui in fossam adeo profundam, torrentemque adeo rapidum sordium, in quibus nos demersi abruptique jacebamus, descendere voluit, ut nos ex eisdem extraheret manu sua, eam modo firmiter amplecti, ac vestigia ejus fidelter insequi velimus.

Que cum parum diligenter usque adhuc observata fuerint, ac ingenia quedam delicata, aut fastidiosa potius, offendere possint, nos ante omnia veritatem eorum auctoritatibus Scripturæ saeculæ confirmabimus; deinde vero subjiciemus, qua ratione ac modo eadem facta sint, ita ut non tantum non laederetur Christi puritas; sed & sanctitas ejusdem atque amor longe maxime illustrarentur, ac magnifice in iis triumpharent.

### Disquisitio hujus loci.

1. Non ignorat Auctor noster, ab hypothesi sua de infirmitatibus Christi moralibus dissentire omnes omnium christianorum confessiones; & nihil tamen minus, ut imperitis fucum faciat, quasi pauci a se dissentirent, ait: *Sunt, qui volunt &c.* Et huic sophismati jungit manifestam *ψευδομαρτυριαν* illam, quasi dissensus iste detrectationem, seu fugam, imitationis pro scopo haberet. Cui falso testimonio statim subnequit aliud maxime temerarium, quasi dissentientes *Christum penitus ignorarent.*

2. Christum corruptæ naturæ tentationes & inclinaciones, & quidem illum unum plures, quam ceteri omnes habuerint, easque violentissimas & principales, habuisse, & sine ullo tamen peccato, est *σιδηρόζυλον*. Quæ de virtute & meritis adduntur, cedunt in veri meriti negationem.

3. Inclinationes istas sine peccato habuisse ac sensisse, & eas tamen omnibus modis ad cruentum etiam sudorem usque [ut]

## ( II )

[ut habet p. 59. L. IV. & p. 819. L. III.] impugnasse, neque ante victoriam a pugna cessasse, licet media in pugna medioque in labore suo exprimandum fuisset; nova est contradic<sup>tio</sup>, semet ipsam penitus destruens.

4. Si Christo pugna & victoria adversus inclinationes peccatorum, quas sine peccato habuisse dicitur, vel ipso sanguine stetisset, exemplum ejus peccatores, qui inclinationibus eiusmodi non sine peccato obnoxii sunt, animo potius esset dejecturum, quam erectorum. Quid mens in sacris *μετεργεσιούσι*, negata peccati imputatione, Christo facta, non molitur?

5. Ita vero, quam Auctor exhibet, *discussionis & explicationis* promissio quid est, nisi falsa persuasio de curatore hujus doctrinæ scientia, qua tamen vel ipsa ignorantia est deterior.

6. Quæ de fossa Filii Dei profunda ejusque demersione & extractione dicuntur, verba sunt evangelico sensu vacua & novi evangelii nuntia. Ita enim omnia de suscep<sup>t</sup>a inharentis peccati labo dicuntur.

7. Fastus sane est pseudomysticus, veram doctrinæ evangelicæ tractationem neglectus arguere, & hunc delicasias & fastidiosis ingenii tribuere, & hac, ut melius instruantur, ad magistrum Burignoniā, cuius tractatum & epistolam Auctor commendat, ablegare. Utinam Adamus noster huic Evæ se non decipiendum mancipasset.

8. Hypothesi sua auctor confirmationem promittit e Scripturæ sacræ auctoritatibus, sed has fingit ac refingit pro lubitu, suisque præjudiciis reddit obnoxias. Allegat enim verba Psalmorum varia, præcipue Psalmi XL, XLI, LXIX, quæ agunt de mole peccatorum per imputationem suscep<sup>t</sup>a, uti e præmissa veræ doctrinæ evangelicæ demonstratione liquet.

9. Et in corruptissimum hunc sensum Auctor non erubescit etiam illa loca pertrahere, ubi Christus dicitur *carnem carni peccati similem assumisse, peccatum ac maledictio factus pro nobis, & peccata in corpore suo tulisse Rom. VIII. 3.*  
 2 Cor. V. 21 Gal. III. 13. 1 Pet. II. 24. Quæ sane detestanda est doctrinæ evangelicae depravatio, tota novo Burignoniæ evangelio serviens! Locus Matth. VIII. 17. ex Jes. LIII. desumtus in Dodec. prioris Dissert. III. IV. V. & sequentibus, cum reliquis omnibus, abunde vindicatus est.

10. Omnia vero indignissima est corruptio loci ex epistola ad Hebreos c. II. 14, 17. & c. IV. 15. V. 7, 8. ubi inter alia oblationem ac mortem Christi interpretatur de mortificatione inclinationum inherentis corruptionis, Christi vero sacerdotium & expiationem peccatorum populi itidem de immolatione per eandem mortificationem in ipso facta, & in ipsius membris perficienda, & per se ita comparata, ut Deum reddat propitium. Quæ interpretamenta, p. 57. seqq. longa serie exhibita, cum iis, quæ Dodec. I. Dissert. V. VII. & VIII. proponuntur, collata quam detorta sint & a sensu evangelico aliena, vix quisquam sine horrore perpendet. Ego sane non dubito magna cum parrhesia hanc ipsam σεβότητα annumerare illi, quam Petrus epistola posteriore c. III. 16, 17. gravissimis verbis describit, & tribuit male nota hominibus, qui ibidem αὐθαδῆς & ἀσέγους dicantur.

11. Non minori interpretationis perversitate ibidem depravatur sensus oraculi insignis de agone & sudore Christi cruento in monte olearum Matth. XXVI. 42. Luc. XXII. 42. ubi Christus Auctori nostro ad sanguinem usque contra propriam suam voluntatem & inclinationes naturæ corruptæ pugnasse dicitur. Vide eundem supra L. III. c. XVII. p. 819. ubi hæc habet: *Christus contra voluntatem carnis ita fortiter pugnavit, ut sanguinem pariter ac aquam sudaverit &c.*

Quo

Quo quid Salvatore optimo ejusque agone ἡλεῖται indignus dici possit, vix invenias. Audiamus nunc rursus ipsum Auctorem.

### Locus IV. §. V. p. 59.

*Christus nunquam peccavit; idem tamen vim atque impetus peccati sentire potuit, at nunquam isdem consentire, adeoque nunquam peccare: non enim in sensu peccatum est, sed in consensu; namque si ex. gr. homo aliquis nequam viro probo consilia prava pravasque cogitationes suggerat, eundemque ad horum executionem invitet, ille vero non consentiat; manifestum est, virum probum in hoc minime peccare: quodsi ponamus a diabolo eadem ipse ope imaginationis aut alio modo proponi, illum vero ipse pariter resiliere, utique non minus evidens erit, eum minime etiam hic peccare; proindeque licet ista ab instinctu temperamenti ac sanguinis aut a constitutione corporis suggererentur, idem etiam dicendum erit, neque enim peccabit nisi isdem consentiat. Denique si fieri posset, ut vel Angelus, aut alius quicunque sensum ac vim inclinationum ac pravarum consuetudinum animæ experturus, easdem per amorem in se riciperet, non per actus viciosos, quos in se produxisset; neque isdem consentiendo, sed potius ut eas in se oppugnaret immolaretnque, quo homines exemplo suo animarit, idem facerent, eum imitarentur, semetipso oppugnarent, illasque per vires, quas ipse is in pugna suppeditatus esset, debellarent; it profecto hoc ipso non tantum non peccaret; sed & ejusmodi opus perageret, cui exequendo non nisi amor infinitus, potentia divina, puritasque & sanctitas insuperabilis atque omni insultatione major, sufficeret. Itaque tantum absit, id gloriam ejus puritatemque obscurare posse; ut potius eadem supra omnem, que in caelo pariter at-*

*que in terris invenientur, sit eucturum. Et hoc ipsum quidem in Iesu Christo propter salutem mundi adfuisse constat.*

### *Disquisitio hujus loci.*

1. Nequaquam sufficit, Christum peccati actu ipso commissi facere expertem, cum nec peccatum inherens ullum habuerit, nedum ab ullo tentari potuerit, uti supra demonstratum est.

2. Peccatum apud homines non solum est in consensu, sed in ipso etiam sensu & malo ejus somite aut habitu. Unde sensus peccati Christo nequaquam tribui potest. Omnis enim peccati simpliciter fuit expers.

3. Exemplum suggestionis, seu propositionis externæ, ineptum est ad rem præsentem. Si enim Messia ad sanguinem usque adverſus peccatum interne solicitans fuit lugandum, certe illud ipſi non fuit externe propositum, sed interne inhaſit. At hoc falsum est. Ergo etiam istud. Et utrumque inepte ab Auctore illustratur.

4. Diabolo autem tribuere tantam vim in Christi imaginationem, ut in ea excitare potuerit inclinationes ad peccatum, quarum suppressio Christo vel ipso cruento sudore steterit; est propriæ imaginationis morbum prodere.

5. Tanti vero impetus tantæque *avulsa* inclinationes Christi temperamento, ejusque sanguini & constitutioni corporis, adscribere, est Christum injurya afficere. Hac autem de Christo intellecta nolle, & tamen de eo dicere, seu ad probandum modum, quo ipſi peccatum inhaſerit, proferre; est in re sacra ludere: quemadmodum suum de peccato errorem proditurus esset Auctor, si peccati sedem apud hominem ad ejus temperamentum & constitutionem corporis vellet referre. Ineptissimus ergo est totus hic sermo ejusdem.

6. Pe-

6. Periodus illa, seu argumentum de angelo: *si fieri posset* &c. solvitur hac responsione: Atqui falsum est prius. Ergo etiam posterius. Ipse Auctor non ignoravit, id fieri haud posse, nec unquam factum esse ab angelo: unde studio dixit: *si fieri posset*. Et tamen argumentationi isti hanc de Christo applicationem subiungit: *Et hoc ipsum quidem in Iesu Christo propter salutem mundi adfuisse constat.* Constat; sed unde? nisi e Burignoniae phantasia, quæ Poireto fuit sapientia regula.

7. Quia Auctor §. VI. tradit inanis rhetoris in modum, ex iis, quæ haec tenus dicta sunt, & porro dicentur, facile possunt dijudicari. Repetit ibidem hypothesis suam de incarnatione Christi priore, sicutque, ipsum per quater milenos annos gaudia infinita habuisse in gloriofo corpore suo, sed iis abstinuisse in corpore altero, humili illo, & propter istorum cessationem ac recordationem tentationes peccati eo plus ipsi negotii facessivisse.

8. Igitur vero naniis pondus additus §. VII. hæc subiungit: *Atque ex his quidem colligere est, quam magna quamque ineffabiles fuerint tentationes Christi, quibus universa ejus vita erat refertissima, quippe cum nullum diem egredit, quin memoria tot deliciarum infinitarum ac passionis amarissimæ animo ejusdem observari potuerit, quo fiebat, ut cogitatione ejusdem totus contremiseret, & vel sanguinem interdum sudaret, neque minus ingemiseret inter discipulos suos dilectissimos, quem si cruci vere jam affixus fuisset, dicens (Matth. 26. v. 38.) Tristis est undiquaque anima mea usque ad mortem.*

Certe vix ægri hominis somnia minus coherent, quam hæc theologiae Burignonianæ analogia. Et hæc ipsa *tepatologia* augetur §. VIII. ubi Auctor comininiscitur, Christum temptationibus istis, quæ sudorem cruentum ipsi excusserint,

serint, obsecundare potuisse sine ullo peccato, immo ipsum vitam istis obnoxiam statim rursus potuisse deferere, & ut adversus hanc ipsam desertionis tentationem se muniret, novam temptationi occasionem, novumque cumulum, accessisse. Quæ vel indicasse, est refutasse. Nec meliora sunt, quæ §. IX. de imperscrutabilibus temptationum Filii Dei abys- sis finguntur, vera ejus temptatione plane neglecta & quasi eliminata ac conculcata.

9. Prolixum §. X. sermonem prætero, cum nihil continet, nisi conclusionem ex falsis præmissis, h. e. adhortationem ad Christum imitandum, pravis hypothesibus, quæ imitationem istam potius impediunt, quam promovent, superstructam. Ubi inter alia verba Christi: *Qui credit in me*, perperam ita explicantur: *qui Spiritus mei operationes in corde suo admittit*. Quæ sane magna est interpretandi licentia & σφεζλότης, e fallo renovationis, unice & solitaria, & hac ratione etiam præpostere ac corrupte, commendata, principio nata. Et si enim, qui credit, Spiritus Sancti operationes omnino admittit; tamen aliud est, has admittere, aliud in Christum credere. Deinde suo imitationis commendationi ipse Auctor maxime contrarius: *Vita*, inquit, *Christi ærumpensa ac temptationibus subjecta directam representationem* habet atque exemplar eorum, qui nativitatem novam nondum ingressi sunt &c. Atque ita Christi imitationem regenerationi longe anteponit, corruptissimam de utraque ideam ipse prodens & imperitis lectoribus insinuans.

10. Ea, quæ §. X. usque ad XIV. sequuntur, & de Christi infirmitatibus ita agunt, ut eas referant ad ejus incarnationem, & hanc corruptissime tradant, una cum epistoli mea ordinis causa subjunxi isti Auctoris errori, quem de incarnatione quadam Christi priore, seu Adamica, propinat; cuius examen habet Dodec. I. Dissert. IX.

Locus

## Locus V. Oecon. L. III. c. II. §. XIV.

p. 66.

Ex hac autem incarnatione facta apertissime nunc colligimus, corpus Christi necessario simile factum fuisse corporibus nostris, iisdem miseriis, debilitatibus, infirmitatibusque, infantiae pariter ac totius vitae, obnoxium; nec non omnis generis motibus inordinatis, quos corruptio in naturam invenit, ex quo haec a primitiva temperie excidit, subjectum. Unde Christus frigori pariter ac calori, somnoque & lassitudini, morbis etiam ac turbatis motibus humorum, sanguinis & spirituum, quos peccatum conturbaverat, obnoxius extitit. Hec omnia autem varies sensus eosque incommodos & tentationibus refertos animae ejusdem ingesserunt, que quidem tentationes omnes, quibus animae nostrae a corporibus sibi junctis variisque eorum motionibus infestari possunt, pariter experiri potuit. Evidentem nolim dicere, eum tentationes illas omnes vere in se sensisse; carnem enim suam freno injecto coercet, atque adhibitis jejuniis, vigiliis precibusque vim ejus ita frangebat, ut rebelliones suas omnes exserere non posset, que aliqui expectande essent a motibus ejus pellacibus & blanditiis, aliisque impetibus violentis, quibus commoda sua nimis ardentier querere, ea vero, quibus domari potest, ultra quam pars abhinc solet. Neque enim dubium est, quin mortificaciones, res viles, paupertas doloresque, carni Christi perinde ac nostrae amara acciderint atque contraria; ita ut illa potius abundantiam, commoditates, quietem, voluptates, omniaque delectamenta ac solatia maluisset: ideoque oporruit ut ipse motus istos indesinenter oppugnaret: idque etiam toto vita tempore revera prestitii.

### Disquisitio hujus loci.

I. Illatio Poireti de natura Christi sit ex falso principio

C

ficta

fictæ prioris incarnationis, & cum ipso penitus corruit. Fucus ergo est in verbis: *apertissime colligimus, corpus Christi necessario simile factum fuisse corporibus nostris.* Immō nulla est hæc consequentia de similitudine in peccato, et si commentum istud prioris incarnationis quam maxime supponas.

2. Auctor manifeste confundit *infirmitates physicas*, quas status exinanitionis secum tulit, cum *moralibus*, quæ peccati naturam habent. Quæ confusio perpetua est in prolixo ejus de hac materia fermone. Aliud sane est, subire infirmitates physicas, etiam tales, quas peccatum introduxit; aliud habere ipsum peccatum. Hoc enim a similitudine excipi, Scriptura expressis verbis notat, uti supra percepimus.

3. Contradiccio est *απόστατος*, tentationes peccati omnes non quidem vere in se sensisse, & tamen carnem suam freno injecto coercuisse, atque adhibitis jejuniis, vigiliis precibusque, vim ejus ita fregisse, ut rebelliones suas omnes exserere non potuerit &c. Indignissimum sane est, hæc de Salvatore Θεανθρώπῳ, vel cogitare; facinus est impium, de eo talia in publicum protrudere! In Christo enim peccatum ne fuisse quidem, nec esse potuisse, nisi per modum imputationis, supra evictum est.

4. Iстis vero impiis, verbis de lucta Christi adversus inhaerens peccatum aliquam verisimilitudinem conciliare studet Auctor sua confusionis fallacia, qua e sensu rerum adversarum physico & ingratior illationem suam de moralibus peccati insultibus incruxstat.

## Locus VI. ibid. §. XV.

*Sunt qui volunt, corpus Christi ita bene ordinatum temperantimque fuisse, ut nullas unquam ideas tentationum, aut motu-*

motuum immoderatorum animæ imprimere; aut ullam hærum impressionum causam afferre potuerit. Verum iſi ea quæ dicunt ipſimet non exacce ſciant: ac dum honorem Chriſti tueri volunt, eundem revera labefactant. Quis enim honori eſſe dicet victoriam quidem retuliffe, at pugna caruiffe? Et quo argumento Amor ejusdem erga homines conſtabit, ſiquidem propter illos corpus hoc moleſtum non aſſumſit. &c. Et tantum abeft, infirmitates illas honorem ejus labefactasse; ut potius coronam ejusdem tanquam gemme prelioſiſime aliquando ſint decorature, ac ornamenti longe magniſcenſiſima triumpho ejus allatur. Quam enim non immensus, purus, vehemensque in eo fuit Amor Dei pariter ac proximi, cuius iſtinctu gloriam ſortemque divinam, perfectionibus omnibus abundantem, deponuit; ac onus gravifimum tot conturbationum & perpetuæ pugnæ, qua caro contra ſpiritum ſemper oblitatur, pro iis ſuſcepit! Quam ſolida atque abſoluta sanctitas illa, que tot iſtud inconcufa ſuſtinuit! quam ingens ea conſtantia, quam firnum propositum in ſtudio mortificationis, a quo nunquam deſtitit! Quam vero hæc eos, qui rite ea penitent, animare atque inflammare non de- bent.

### Disquifitio hujus loci.

1. Sinceritatem mentis denuo deſidero in formula: *Sunt, qui volunt.* Hac enim utimur, quando ſignificare volumus, a communi ſententia recedere nonnullos. At Au- tor hic eam adhibet de diſſenſu non aliquorum, ſed o- finium universali, paucißimis exceptis. Atque ita lectori ſuo imperito denuo ſciens prudensque ſucum facit.

2. Orbem christianum univerſum in ſuis de Chriſti perſona confeſſionibus ignoracionis & labefactati honoris Chriſti poſtulare, temerarium eſt; frivolum vero, hujus

*τύχη μαρτυρίου* rationem a negata pugna, quam ipsi Auctor tribuit, arcessere.

3. Certe enim verba Poireti: *Quis enim honori esse dicet, victoriam quidem retulisse, at pugna caruisse?* dupli laborant vitio, uno sophismatis petiti principii; altero fallaciae ignorantia, aut dissimulati, elenchi. Nam hæc ipsa hypothesis: *pugna & victoria Christi adversus peccatum posta fuit in devictione temptationum, quas intra se ad peccandum sensit*, est error Poireti ingens, quo ab universa ecclesia omnium confessionum & partium christiana discessit. Hanc vero ipsam hypothesis repetit hic argumenti loco; atque ita committit sophisma petiti principii, viro docto indignum. Et cum hoc vitio conjunctum est alterum illud dissimulati elenchi, quasi dissentientes statuerent, *Christum victoriam reportasse sine pugna*. Non enim ignoravit, ab iis omnibus Christo in forensi peccatorum portatione & expiatione tribui pugnam & victoriam infinitis modis majorum & illustriorem sua illa, quam fingit; utpote qua, ad vivum excusâ, plane nulla, seu tota imaginaria, h. e. Burignoniae mentis phantasma est.

4. Ineptissima etiam sunt ultima Auctoris verba: *Et quo argumento amor ejusdem erga homines constabit, siquidem propter illos corpus hoc molestum non assumit?* Quasi vero ista amoris documenta, quæ per obedientiam suam activam & passivam, & utramque quidem gratia ac salutis meritoriam edidit, essent nulla. Pro quibus immensi amoris ponderibus thesaurisque æternis Poiretus orbi christiano aliquot plane imaginarias & penitus confictas amoris Christi guttulas & granula obtrusum ivit; utpote posita in devicto intra se peccato inhærenti, quod tamen nullo modo habuit; & si habuisset, salvator esse haud potuisset.

5. Inanissima sane, uti e dictis liquet, est illa etiam divini

divini amoris prædicatio, quam posteriores allegati loci periodi habent. Et quam inepta non est virtutis divinæ in Christo exaggeratio, quando auctor ita rhetoricitatur: *Quam solida atque absoluta sanctitas illa, que tot insultus inconcussa sustinuit? quam ingens ea constantia, quam firmum propositum in studio mortificationis, a quo nunquam defitit!* Quod si enim Christus in pugna sua non aliud habuisset objectum, quam peccatum interne irritans ac solicitans, certe ejus sanctitas ac constantia permultum cederent constantie ac sanctitati martyrum, quos singulorum seculorum decursus habuit. Ecquis enim martyrum melioris nota vel in ipsis flammis exclamavit: *Deus mihi, Deus mihi, cur me dereliquisti!* Quare hypothesis Poiretiana ita comparata est, ut ipsam religionem christianam, & in ea speciatim Christi perpessiones, empæctarum ludibrio exponat, et si Auctor hoc non intenderit.

6. Non minus frivola est ultima illa exclamatio, seu illatio: *Quam vero hac eos, qui rite ea penitant, animare atque inflammare non debent!* Ita enim argumentum Poireti affectæ se habebit: Christus, et si verus erat Deus; et si divinitatis plenitudo humanam ipsius naturam inhabitabat, tamen intra se follicitans peccatum non aliter vicit, quam ita, ut in ejus debellatione ipsum sanguinem exsudaret & in cruce sui desertionem proderet. Ergo ego etiam imbellis homuncio, qui totus, quantus sum, peccatorum coeno natura immeritus sum, ad exemplum ejus & ejus virtute peccatum intra me devincam. Quis tam amotæ mentis est, ut non videat, hoc argumentum pro animatione & inflammatione suffocandi & deterrendi vim continere? Mirari fatis nequeo, virum alias acutissimum talia mente concipere, nedum publico scripto exprimere & universo orbi chri-

Riano obtrusum ire potuisse. Sed documento est, quanta sit vis præjudiciorum.

7. Nullius porro momenti, potius erroris itidem plena sunt, quæ p. 67. & 68. adseruntur. Allegata enim loca de statu exinanitionis in finistrum istum antecedentis sermonis sensum pervertuntur.

8. Et ut argumentum suum, pro inflammatione ad amorem prolatum, aliqua veri specie induat Auctor, negat, quenquam christianorum tantam experiri difficultatem & tot impedimenta in lucta adversus peccatum, quot Christus senserit: sed ineptissima illatione, ut jam percepiimus.

9. Totius §. XVI. prolixus sermo nihil fere habet, quod ad rem præsentem faciat; utpote compositus ad commendationem præxeos in christianismo, nudæ & curiosæ speculationi oppositam. Sed utrum ab hac per principia sua quenquam salutariter avocaturus fit Auctor, non immerito dubito; immo, illud *ἐκ τῶν ἀδυνάτων* esse, arbitror. Quæ idem sermo minus recte de anima & statu Christi tradit, omnia ad solum exemplum referens, e jam dictis dijudicari possunt.

10. Eadem est ratio §. XVII. & XVIII. ubi multa non utiliter minus, quam prolixè, monentur de labyrintho plurimorum litterario, ad exemplum Christi & ipsius Apostolorum agnoscendo & fugiendo. A longiore autem isto diverticulo in viam suam, qui tamen merus error est, reversus ita pergit:

## Locus VII. Oecon. §. XIX. p. 74.

*Verum, ut ad Christum redeamus, is non tamum animam suam ad ignorantiam præjudiciaque & errores vulgares reduxit, cognitionibusque istiusmodi destitutam præsttit,*

tit, ut nobis suo exemplo ostenderet, quid in simili statu nostri sit officii; verum etiam in se recepit affectus animæ, eorumque propensiones, quibus animam ad objecta sua abripere nuntur, voluntque ut illa vel in gaudio vel in tristitia, in spe aut metu, in ira, in odio, in desideriis, ceterisque modum excedat. Atque hoc ille propter easdem rationes fecit, quæ nobis conspecte sunt, ubi ejusdem tentationes attigimus, ita tamen, ut nunquam iisdem illegitime aut extra justitiam atque Amorem Dei consentiendo, peccaverit. Verbo, humilitates omnes ac tentationes, quas Christus induere voluit, absconditæ sunt ab hominibus: & labores ejus tum demum pernitus cognoscuntur, quando magnum suum triumphum ac nosvisimum acturus erit.

### Disquisitio hujus loci.

1. Falsissimum est, Christum animam suam ad ignoratiā reduxisse sensu Poiretiano. Irreverentia erga ipsum summum numen est, statuere, Christum animam suam etiam ad præjudicia & vulgares errores reduxisse. Quod hic magna futilitate adseritur, tantum sola eget negatione: quæ tamen conferenda est cum demonstratione, quam præmissa huic Dissertationi Propositio habet.

2. Impium sane est, a vitiis intellectus delabi ad vitia voluntatis, & aucta τερατολογία, hæc etiam Christo tribuere. Cujus adseri. impietas itidem e modo dicta Propositione liquet.

3. Exiguus sane Salvatoris honor est, dicere, ipsum peccatorum solicitationibus nunquam illegitime, aut extra justitiam & amorem Dei, consentiendo peccasse. Siccine solius consensus a peccati illecebris abstractio Christo inter alia in lucta sudore cruento stetit? Certe hoc etiam indicasse, est refutasse.

4. Quan-

4. Qvandoquidem vero Auctor absurditatem hypothecum suarum non penitus ignoravit, isti obtendit mysterium aliquod, dicens, *Christi tentationes omnes absconditas esse ab hominibus &c.* Id quod est errori addere fucum.

### Locus VIII. §. XX. p. 74. sq.

Diximus, Christum potuisse propensiones has corporis ac anime sue, quas hic descripsimus, sine peccato sequi. Cujus asserti ratio haec est, quoniam ipse cordis erat tam puri, ac divino amore ita repletus, ut ad cetera omnia, quae in mundo sunt, animum sic applicare posset, ut non tantum ab amore Dei non revocaretur, sed & ejusdem augendi materiam in omnibus inveniret. Quodsi ponas eum cum excessu ad nonnulla ferri potuisse, ajo, quod vi potentiae ac sapientiae sue facultates suas ita tum dispositisset ac dilatasset, nec non objecta ipsa ita ordinasset, ut inter haec eorumque facultates (amori Dei perpetuo adhaerentes) egregia semper harmonia existisset. Sic v. g. liceat vobis ponere, Christum voluisse rebus quibusque pulcherrimis, optimis, delicatissimis, maximis atque honorificentissimis uti; vsluisse instar Solomonis, aut magis etiam splendidè tractari, voluisse in ira omnes sibi tradicentes sine venia eliminare, aliaque similia; ajo, eum haec omnia, absolute loquendo, sine peccato facere potuisse: etenim [ut taceam jam ea omnia ipsius fuisse, ac à Deo Patre ipsi donata,] potuit utique ita uti fruique ira, ut ab Amore atque laudibus Dei animum non diverteret, potuit etiam impios, quorum peccatum exitium meruerat, interficere. Immodicum nihil, excessus nullus, inveniri potest in subiecto sapientissimo, justissimo, atque omnipotente: quoniam ðò immodicum sive excessus, significat applicationem facultatum hominis ad objecta minus proportionata. Atque subiectum potens ac sapiens, absolute loquendo, novit facultates suas ita dilata-

dilatare, aut objecta ipsa ita exaltare, ut utraque utrisque respondent; id quod subjectum debile ac a peccato labefactatum nulla ratione potest. Nam si homo peccator forte ad lauditas omnes copiose degustandas propendere se sensiret, is sine peccato instinctum hunc sequi minime posset, tum quoniam hic cor atque amores suos, quae facultates sunt spirituales & pro solo Deo creatæ, queque objectis terrestribus non respondent, isdem tamen applicaturus erat; tum quoniam facultates sensibles naturalesque ita eo abripi pateretur, ut illæ hac in infirmitate in qua nunc sunt, nimis gravatae damnum sentirent. At nihil impedit, quominus subjectum sapiens ac potens desideriis isdem sine peccato plenissime satisfaciat. Et enim hoc ipsum cor atque amores suos perpetuo ac firmiter in Deo fixos tenere potest: tum si ex hac statione res ceteras videre liceat, potest id indirecto modo exequi, atque ita eas intueri in quantum divine potentie atque bonitatis figuræ atque imagines existunt: potest etiam facultates suas sensibles corroborare, ne objectorum abundantia graventur; potest & objecta ita disponere, ut facultates reficiantur potius atque recrecentur, quam opprimantur; (quæ quidem rationes eadem fere sunt, cur homo in statu innocentiae pulcherrimis quibusque creaturis omnibusque deliciis uti potuit, idemque post consummatam sui restitutionem sine peccato poterit:) Ergo CHRISTUS, absolute loquendo, omnia quæ ipsi placebant, sine peccato sequi potuit.

### Disquisitio hujus loci.

I. Loco hoc integro suam ipse vineta cadit Auctor. Si enim Christus istas propensiones, adversus quarum consensus & effectum luctam omnem convertit, sine peccato potuit sequi, etiam sine multa, immo sine ulla, lucta ab

D

iisdem

iisdem potuit abstinere; atque ita lucta ejus recedit in nihilum.

2. Haud obscura est contradictione, solicitatum fuisse a peccato, & has solicitationes, immo propensiones suas, sequi potuisse sine peccato, & quidem sanctissimum Salvatorem. Nec tollit contradictionem sophisma, quo Auctores distinguendas, infirmitates naturales & morales, & utrariumque solicitationes, ac propensiones ad illos, confundit.

3. Universus hujus loci sermo est inanis ratiocinatio, falsarum hypothetum arenæ superstructa, solidi habens nihil, tota e duobus ipsis observationibus, quæ præcedunt, facile dijudicanda.

4. Non exiguis vero anguis, tanquam in herba, in ipsis latet verbis: *Nihil impedit, quo minus subjectum sapiens ac pores desideriis iis* (quæ aliis sunt peccatum & cedunt peccato) *sine peccato plenisime satisfaciat u. t. a.* Etenim hæc ipsa non tantum falsam supponunt applicationem ad Christum, sed præterea tam generaliter dicuntur, ut a nudis etiam hominibus ad perversissimam applicationem abripi possint, a talibus nimis unum, qui e persuasione pharisæa, aut pseudomystica, se ipsis falso pro sapientibus ac potentibus habent. Nec solus abusus, ab Auctore haud intentus, hanc facere potest applicationem perniciosissimam, sed ipse etiam scopus ejus generali hoc axiome tendit ad usum ejusmodi, qui abusus ipse est. Statuit enim, virum sapientem & spiritu potentem, qui non ignorat, Deum tantum interna cordis pietate coli, omnia superstitionum & gesticulationum genera, quæ aliis peccato sint, sine ullo peccato, immo cum ædificatione sui, quam innocentissime obire posse. Quam ejus hypothetin Dissertatione ultima Dodecadis posterioris examini subjectam videoas.

*s. Ergo*

*¶. Ergo Christus omnia, que ipsi placebant, sine peccato se-  
qui potuit. Hac est falsa Auctoris conclusio, seu falsa di-  
ctorum applicatio, e falsis præmissis resultans. Mirum est,  
virum doctissimum haud perspexisse, quam valide suam i-  
psius hypothesin de lucta Christi hac ratione destruat. In-  
terea tamen prævidit, sibi hoc ipsum objectum iri. Qua-  
re in sequentibus id agit, ut difficultatem istam tollat, lâ-  
tem minutat. Quam vero feliciter & recte, nunc videbi-  
mus, ipsum prius audituri.*

### Locus IX. §. XXI. p. 75.

*Ex quibus duo nunc colligenda veniunt, eaque dignis-  
sima, que tota mente diligentissime observentur. Alterum,  
quod studium abstinentiae ac mortificationis, quam Christus ex-  
ercevit, difficultates incommoditatesque multo maiores habu-  
it, quam nos in eodem invenimus. Ille enim longe vehementius  
tentari se atque attrabi sentiebat, uti diximus; idemque  
absolute loquendo, temptationibus suis sine peccato & sine ullo  
periculo obsequi poterat. Quis vero est inter homines aut  
creaturas universas, qui in præcipito adeo lubrico non ca-  
deret? Quam generosum autem hoc peccatum erat, quam insi-  
nitus, quam purus, quam generosus & a privato studio alienus  
ejusdem Amor, qui illos, propter quos in abstinentia hac du-  
risima exerceri voluit, propria vita sua propriisque commo-  
dis multo cariores habuit? Evidem & nos temptationes expe-  
timus: verum nec aequa vehementer tentamur atque CHRI-  
STUS, nec temptationibus nostris obsequi possumus, quin & pec-  
cemos, & corpora pariter ac animas misere perdamus. Et  
hic tria habemus ad pugnam, ad constantiam victoriamque  
consequendam non leve momentum afferentia, primo tenta-  
tionum diminutionem; tum autem, metum ne amorem Dei in*

nebis extinguamus, hoc est, ne peccemus; & postremo, metum ne corpus pariter ac animum perdamus; quæ tria, inquam, non parum & momentè conferent, ut pugnam contra nos ipsos perseveranter urgeamus; ipsi tamen Christo non ita adfuerunt. Ille enim in hisce considerariibus rationes nullas inventit quibus se ipsum in studio mortificationis, quod constantissime ad crudelissimam usque mortem crucis persecutus est, animaret excitareque: at nos e contrario tria illa habemus incitamenta, que non parum eos movere debent, qui penitus illa considerare atque uti fas est observare volunt. Quis ergo non vider, persuasionem hanc, qua causamur imitationem Christi difficultem nobis imo & impossibilem esse, Diabolum auctorem habere; quandoquidem nos minorem hic difficultatem inveniemus atque ipse experius est, neque nobis desint, quæ illi defuere adminicula efficacissima, dum modo tamen, ut ille, sic & nos virtuti ac motibus Spiritus S. nos totos tradamus, quem quidem nulli hominum denegat, quiique fores cordis nostri toties totiesque pulsat.

### Disquisitio hujus loci.

1. Mirari satis nequeo, a viro alias doctissimo, tam scribi inepte, & judicari sine ullo judicio: quo tamen alias per naturam polluit. Attendat lector, quomodo hic sit in tollenda ista, quam sibi objectum iri prævidebat, difficultate, sub precedentium observationum finem indicata.

2. Primum thesin ponit hanc: Studium abstinentie ac mortificationis, quod Christus exercuit, difficultates ac incommoditates multo majores habuit, quam nos in eodem invenimus. Deinde hanc subjungit rationem: Ille enim longe vehementius tentari se atque attrahi sensiebat, idemque ten-

ta-

*tationibus suis sine peccato & sine ulla periculo obsequi poterat.* Ducas hic videmus rationes, sed in quarum priore est manifesta principii petitio, in posteriori propriæ hypothecos destructio.

3. Petatio principii est, quod, cum probare debuisset Auctor, Christum in studio abstinentia & mortificationis, seu in tentatione, maiores difficultates habuisse, quam nos, idem asserit, seu repetit, alis verbis, scilicet *illum vehementius fuisse tentatum & attrahitum.* Nam sentire se vehementius tentatum, idem est ac maiores in tentatione difficultates habere ac sentire. Non nego, Christum vehementius fuisse tentatum, quam nos, sed tantum indico, illud inepte ponи probarique a Poireto.

4. Quod vero Auctor ratione altera suam ipsius hypothesis defruat, manifestum est. Nam argumentum hoc: *quod Christus temptationibus suis sine peccato & sine ulla periculo obsequi potuerit*, non probat temptationum gravitatem, sed earum levitatem, & tantum non earum nullitatem, ut ita loquar. Quod si enim peccatum totius humani generis nihil habuit juris in Messiam per imputationem, quam auctor negat, & si is adeo sanctus fuit natura, ut temptationibus obsequi potuerit sine peccato & sine periculo, [ h.e. peccare sine peccato, quod novum est σιθηρόξυλον; ] unde nam temptationis difficultas orta est; in primis si consideretur, sanctitatem Christi, per quam a peccato abstinere volevit, conjunctam fuisse cum immensa ejus virtute, qua abstinere potuerit. Mirum est, Auctorem non finxisse, quod peccati tentationes inharentes, quibus homines ad unum omnes ad peccandum solicitantur, facto impetu *seorsum in unum* Christum tanta, immo majori, vehementia, quantam

D 3

con-

*conjunctionem omnes mortales experiuntur, irruisse.* Hac enim ratione aliquam argumenti speciem asserto suo parafset. Sed hoc commentum nusquam in ipso lego. Videatur vero ab eodem abstinuisse, quia sibi ab eo timuit, ne inde cogeretur ipse aliquo modo admittere, quod alias magnō nisu negat; scilicet tentationes & perpersiones Christi externas & internas fuisse *vicarias*, & aliquam meriti pro universo genere humano vim habere.

5. *Quis vero est*, pergit, *inter homines aut creature universas*, *qui in praeципio adeo lubrico non cadere*? quam generosum autem Christi peccatum erat &c. Hoc esse debet argumentum pro demonstranda lucta Christi difficultate & gravitate, luctam humanam, seu aliorum hominum, superante; sed directe evincit contrarium. Quis enim non videt, eum plus subire difficultatis in pugna, qui in praecipito casus lubrico versatur, & vix imbellis ovis virtutem habet, quam illum, qui rebus, ad quas tentatur, sine peccato & periculo ullo permittere se se potest, ad eas vero abnegandas leonis robore instructus est? Certe leviculus maxime futurus fuisset amor, si Christus ejusdem documenta Poiretiano illo majora hanc dedisset.

6. Phrasis: *Christus propter homines in abstinentia hac durissima exerceri voluit*, κατὰ πόνον est biblica, sed κατὰ διάβολον totius contextus pseudoevangelica, utpote non nisi de solo exemplo intellecta.

7. Quid sibi velit Auctor phrasis: *Et nos tentationes experimus*; nescio. Nemo enim sanæ mentis solet tentationes expetere.

8. Si momenta ista tria, praeципue duo posteriora commemorata, in temptationibus Christo non ita adfuerunt, ut nobis, Christi temptationes nostris longe leviores fuerunt;  
quas

quas tamen graviores fuisse, Auctor evincere annititur, suo  
se gladio in argumentando subinde jugulans.

9. Quod si vel maxime Christo tribuenda esset pro-  
pria sui ipsius, seu peccati intra se, mortificatio; absurdissi-  
mum tamen foret, negare, Christum nullas rationes in-  
venisse, quibus se in studio isto mortificationis animaret ex-  
citaretque. Miror dissolutas sermonis Poiretiani, somnio  
simillimi, scopas. Etsi enim Christo defuit metus iste du-  
plex homini tributus, anne vero amor veri rectique, qui in  
ipso consummatisimus & infinitus, ac cum virtute bene a-  
gendi infinita conjunctus fuit, minus incitamenti ad victo-  
riam in pugna obtainendam conferre potuit, quam metus il-  
le miserorum homunculorum?

10. Ultima allegati loci periodus nihil continet, nisi  
conclusionem præmissis suis inceptis convenientem h. e. in-  
eptissimam. Imitationem Christi Poiretiano modo com-  
mendare, est eam obscurare & depravare.

## Locus X. §. XXII.

*Alterum, quod ex veritatibus modo traditis consequi-  
tur, illud est, quod major nobis, quam vel ipsi Christo, neces-  
itas incumbat plusque eo sit cause, cur nos eam vite ratio-  
nem, quam ille iniit, sequi debeamus. Etenim ille eo vite ge-  
nere abstinere poterat, aut aliter vivere, ita ut nec in De-  
um, nec in se ipsum, nec in ullam creaturam peccaturus fu-  
isset: at nobis ejus rei libertas relicta non est, nisi nosmet ipsos  
damnare velimus.*

### Disquisitio hujus loci.

1. Ut novum habet evangelium, ita plane alium etiam  
Jesum Christum nobis describit Oeconomia Poireti, quam  
apo-

apostolica salubrium verborum *ὑποτύπωσις* nobis exhibit. Hac enim ex parte hominum non nisi solam ordinis & vie necessitatem in negotio salutis urget, necessitate *causæ* & meriti soli Christo unice & in solidum adscripta. At Poiretus Christo, seu officio Christi, non solum omnem veræ causæ ac meriti, in sensu forensi accepti, necessitatem derogat, sed hominibus etiam majorem male intellecti ordinis [ad quem fere omne salutis negotium refert] necessitatem tribuit, quam ipsi Christo. Quæ sane deploranda est doctrinæ evangelicæ corruptio! Reliquæ loci allegati per se concidunt, & nihil sunt nisi tautologica præcedentium repetitio, Auctori nostro familiarissima. In summa enim veritatis raritate & paucitate summa est verborum & expositionum copia.

2. Tam jejuna & frivola sunt, quæ Poiretus e sermonatione sua superiore conclusionis loco eruit. Quam vero in commentis suis is sibi placuerit ipse, hic ex eo videas, quod conclusiones suas, loci IX. & X. disquisitione excusas, in medium protulerit pathetica hæc commendatione præmissa: *Ex quibus duo nunc colligenda veniunt, EAQVE DIGNISSIMA, QVAE TOTA MENTE DILIGENTISSIME OBSERVENTVR.* Id quod non est instruere, sed decipere, imperitos lectores.

## Locus XI. §. XXIII.

*Verum, inquiet nonnulli, Christus utique Leges quædam aut actionum regulas sive precepta habuit, que sine prævaricatione negligere non potuit. Historia Evangelica id satis aperte docet: idemque ratio manifesta exposcere videtur: etenim alias nihil ei metuendum fuisset, nihil extimescendum. Et tentationes, quas in eo fuisse dictum est, tentationes vere non*

non fuissent, nisi eum ad prævaricationes invitassent: nam profecto motus illi, quibus beati ad delicias, quas in vita eterna legitime seculari possunt, propendunt, tentationes dici non possunt. Et hec quidem verissime dicuntur: res autem ipsa ita habet.

Christus utique bac in vita actionum regulis, mandatis ac Legibus non caruit, & quidem multo astrictioribus severioribusque, quam que ulli unquam hominum date fuerint: at eidem leges necessitatem absolutam atque inexcusabilem non habuerunt; nec eidem naturales fuerunt, hoc est tales, que ex conditione ejus atque natura necessario fluxerint. Leges istæ arbitrarie fuerunt, & jugum mere voluntarium, quod ille propter hominum salutem in se suscipere voluit. Ille enim ex solo arbitrio voluntatis sue ultro sese obtulit, decrevitque conditionem humanam, eamque omnium vilissimam induere, in qua propter hominum salutem eandem vitæ rationem tenere voluit, quam innire debebant homines vel maxime tentati ac a salute longe alienissimi, siquidem id ad plenitudinem luminis atque amoris Dei adeoque ad salutem eternam redire vellent. Ulteroque consilium hoc propositumque ceperat, quo se ipsum pro iis sacrificare voluit; id ipsumque Pater sua voluntate ratum esse voluerat, jusseratque eum, homines ita per mortificationem atque Sacrificium sui ipsius ad ipsum reducere. Quo proposito jam electo instar regulæ inviolabilis consequitur, Christum austerioribus illis, quas adiit, abstinere non potuisse; neque pugnare contra inclinationes propensionesque naturæ humanæ, quam assumserat deserere, quin hoc ipso contra se ipsum, contra consilium susceptum, contra ratificationem Patris, contra amorem, quo hominum salutem querere voluerat, contravenisset, quippe cum propter illos id consilium ceperat, qui alias sine proposito hoc voluntario humani generis servandi, iisdem insinilibus non male obedivisset.

## Disquisitio hujus loci.

1. Nervis, pro more scribendi Poiretiano, caret etiam hic sermo universus, & facile dijudicatur ex iis, quæ jam dicta sunt.

2. Quo loco Auctor habuerit Christi tentationes, denuo prodit hæc ejus confessio, in personam & officium Christi iniquissima: *Tentationes ejus vere non fuissent, nisi eum ad prævaricationes invitassent.*

3. Quod Christus conditionem humanam induerit, ut in ea, satisfactione forensi & meritoria secundum mentem Poireti negata, propter hominum salutem eandem vitæ rationem teneret, quam inire deberent omnes homines, novum & salüssimum est evangelium, quod dum omnia ad formam Christi imitationem refert, etiam hanc quam indignissime corruptit. Qui enim Christum non recipit ut salutis causam meritoriam, is nec exemplum ejus recte sequitur, sed tota via aberrat.

4. In verbis: *Christus pro hominibus se sacrificare voluit, ut ipsos per mortificationem atque sacrificium sui ipsius ad Deum adduceret*, ne hilum quidem aut granulum ullum apostolici sensus inesse, manifestum est ex integrâ hac dissertatione. Idem pluribus detegit dissertatio sequens XII. Hoc sane est καπηλένει τὸν λόγον τὰ θεῖα.

5. Ultima loci allegati periodus repetitam continent impii & iniquissimi in Christum erroris confessionem, de humana natura una cum ipsa inhærente peccati labे assumta. Quod erroris virus quovis Sociniano fere gravius ac indignius est; certe vix ulli indignitate cedit.

## Locus XII. §. XXIV.

*Itaque AMOR ille PURUS ac liberrimus, isque eo majori  
vene-*

veneratione atque admiratione dignus, quo minus tum ipsi, tum  
Deo Patri suo necessarius fuerat, Amor inquam immensus, ge-  
nerosus & purus, quo salutem utilitatemque hominum querere  
voluit, sola erai regula solunque Mandatum, quod Christus si-  
bimet ipsi propter illos prescripscrat, & quidem secundum vo-  
luntatem Patris sui, a quo per meritum suum infinitum per-  
que intercessionem suam consensum hunc ac veniam exorave-  
rat. Hoc est principium illud nobilissimum purissimumque o-  
mnium, que Jesus Christus fecitque & tulit, idemque principi-  
um totius Evangelii, quo principio Filius Patrem exoravit, ut  
hominibus veniam daret, eosque per vitam ac mortem Filii,  
isdem dari, ad salutem ipsamque venie possessionem reduceret;  
quo principio Pater motus veniam hanc illis concessit, datoque  
Filio suo vivente ac moriente viam ac media suggestit, quibus  
ad ejus possessionem redirent; (Job.3.v.16.17.) Sic Deus DILE-  
XIT mundum, ut Filium suum unigenitum tradiderit; ut omnis,  
qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam: non  
enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum;  
sed ut salvetur mundus per eum. Et haec causa est, cur Filius  
Dei dixerit: [Job.10.v.11.15.17.18.] Ego animam meam pone pro  
ovibus meis: & Pater diligit me, quoniam vitam meam pono, ut  
eam iterum sumam: Nemo tollit eam a me, sed pono eam a me  
ipso. Potestatem habeo ponendi eam, itidemque resumendi. Hoc  
est mandatum, quod a Patre meo accepi. Atque ita videmus, Le-  
gem Christi fæderis gratiae fundamentum, cunctemque omnium  
rurum scopum atque consummationem, esse Amorem liberri-  
num: (Cant. 2. v. 4.) Vexillum ejus est AMOR, exclamat di-  
lecta ejus in Cantico sacro.

## Disquisitio hujus loci.

1. Falsa est illa amoris divini idea, quæ in præjudicium  
E 2 justi-

justitiae vindicis concipitur. Falsa meriti infiniti & intercessionis idea, quæ non refertur ad justitiam illam vindicem per viam satisfactionis, sed tantum ad consensum aliquem & veniam genus humanum amandi.

2. Et hoc ipsum est quidem principium, non autem nobilissimum purissimumque omnium, quæ Jesus fecit & tulit, & evangelii, sed mætæologiae Burignonianæ, a qua deceptus est Poiretus, ut Adamus ab Eva sua.

3. Quæ de exortatione Patri, de morte Filii & de reductione ad salutem & de concessione venie hic dicuntur, corruptissimum sensus esse, haec tenus probatum est, & sequenti Dissertatione uberior probabitur.

4. Loca Joannea nequaquam Joanneo sensu a Poireto allegari, inde itidem liquet. Unde quo habenda sint loco, quæ de lege Christi, tanquam fœderis gratiæ fundamento & scopo, dicuntur, haud obscurum est.

## RESPONDENTI PRAESES

S. P. D.

**F**A Hale nostræ felicitas a Deo per naturam ipsam obtigit, ut, salinis dotata, uberrimo salis proventu multis Germaniae regionibus possit inservire. Et cum salis nostri eximia sit præstantia, in durabili acrimonia maxime, ipsum avide expetitum quam largissime ad exteriores vebi, videoas. Nec minus εὐλογίας πνευματικῆς, tan-

tanquam salis Evangelici, loco nostro e fontibus gratiae ac salutis, qui in Christo scaturiunt, per largam Dei manum obvenit. Cum enim ante annos ducentos insulsi papatus corruptio detecta salis evangelici acrimonia passim abigeretur, Hala nostra tantam hujus copiam accepit, ut, quod spirituali putredini opponeret, haberet abunde. Habentii vero dedit Deus quam liberalissime, dum ante hosce triginata annos novos ejusdem salis fontes, b. e. Academicas salinas, scaturire fecit. Et inter has ea, quae Theologica vocatur, tanta per Dei gratiam ubertate pollet atque salubritate; ut, quidquid doctrinæ sale contingit, putredine demta condiat, suoque sapore restituat. Impugnat vero depellitque non doctrinæ solum, sed vita etiam, præcipue interioris, putridinem, id agens, ut utraque sapiat, seu sapore genuino Deo placeat. Et hujus salis Hallensis, tu præstantissime GEIERE, ut æstimator, sic etiam collector adhuc fuisli avidus. Eius enim jam partem te acquisivisse bonam, actu disputationis privato prodidisti, idem nunc publico comprobaturus. Perge, uti cœpisti: immo tua comparandi accumulandique salis studia studiis novis adange, & da operam, ut non solum gratiae salem in te per omnem vitam incorruptum serves, sed eodem etiam alios a corruptione liberandos largiter conspergas. Dignitatis quidem

dem vox est illa Salvatoris optimi: Vos estis sal  
teræ Matth. V, 13. at quæ plurimum habet paræne-  
tici & epanorthotici salis, quando ita pergit: Quod  
si autem sal infatuatus fuerit, quanam re sali-  
etur? ad nihil valet amplius, nisi ut projiciatur  
foras & conculcetur a quibusvis? Quare me-  
mento uxoris Loti, Luc. XVII, 32. quæ, insulsa  
cum esset, in salis statuam conversa, insulis omni-  
bus perpetuum justitiae Dei documentum est. Hal.  
Sax. prid. Id. Mart. MDCCXX.

**Q**vi studium Linguae necis cum Theiologia,  
Quos non progressus, hic, & ibi facies?  
Huc dum, qui, Juvenis florescens, germina tanta  
Monstras, quas fruges, messis opima feret?  
Gratulor ergo Tibi merito, doctissime Geier,  
GEIERI Magni, qui premis ipse gradus.  
Te DEUS incolumen servet, præstetque benigne,  
Auxilium studiis, non sine Laude, Tuis.

Paucis hisce lineis,  
Doctissimum Dominum Respondentem, ad implendam  
Nominis GEIERIANI, in Praesule Illo Dresdeni, quon-  
dam celeberrimi, mensuram, exstimulare, Ejusque Fa-  
vori atque Amicitiae perpetuae, de meliori sece com-  
mendare voluit, Ipsi in amicabili pugna Oppositurus

M. TOBIAS LOTTER,  
Augustanus.

**Q**uod Tu nunc solide fucum monstrare labores  
 Qui mentes dubias ambiguasque tegit;  
 Prælude dum docto, defendens pulpita scandis,  
 Quid sacra de Christi dogmata carne ferant;  
 Nimirum nostræ similis licet ista fuisset,  
 Attamen haud ulla labe notata caro:  
 Hic sanctæ lucis radius Tua corda serenans,  
 Vertere Te traxit, quod Poiretus alit.  
 Hinc merito ex animo grator, *Tibi, Fautor aman-*  
*de,*

Quem, Pallas socium junxit amica mihi.  
 Non equidem laudum præconia magna *Tuarum*  
 Accino; cum virtus dat documenta satis.  
 Accipe sis votum: *Faxit Deus, optima quæque*  
*Ex hinc quo Patriæ, quo Tibi proveniant.*

Tenui hac Musa sinceri amoris teste, & ingenio & do-  
 ctrina præstantissimo Domino Respondenti, Contu-  
 bernali suo honoratissimo congratulans, applaudere  
 suvolas evena voluit, debuit.

Opponens

JOH. ANTON. BUSCHMANN,  
 Osnabruga-Westphalus, S. S. Theol. Stud.





73 5225

ULB Halle  
002 698 757

3



St

Nb 18

Mt



37

DISSERTATIONUM ANTIPORETIANARUM  
**UNDECIMA**  
 DE  
**SANCTITATE**  
**HUMANÆ CHRISTI**  
**NATURÆ ABSOLUTA, ET**  
**OMNIS INHÆRENTIS, SEU**  
 ADSUMTI, AC PER MULTAM LUCTAM  
 SUBIGENDI, PECCATI SIMPLICITER  
 EXPERTE.

QVAM DOCTRINAM EVANGELICAM  
 A VIRI CL. PETRI POIRETI  
 CORRUPTELIS AC ERRORIBUS

IN REGIA FRIDERICIANA  
 Die Martii hujus M DCC XX anni

SUB PRÆSIDIO

**D. JOACHIMI LANGII,**

S. THEOL. PROF. ORDIN.

disquisitione publica vindicat

RESPONDENS

**IMMANUEL PETRUS Beier/**  
 ONOLDINUS FRANCUS, SS. THEOL. ET PHILOL. STUD.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
 Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.